

occulens ¹⁾, deinde exaestuans ²⁾ anguoris vires ferre non prevalens, benignissimo patri instantem detegit angustiam. Verumtamen devotissimus Dei cultor diu multumque super his cunctatus, tamen de auxilio salvatoris fisus: 'Eamus', inquit, 'ut Karitatis viscera noster sentiat frater ex dono Iesu Christi'. Cumque, laterna lichno accensa, cum eo et altero eiusdem congregationis monacho, nomine Thetgerio, ad hostium usque ventum esset cellarii, custodibus somno sepultis, facultas abnegatur ingrediendi. Veritus tamen ne si retrorsum cederet, ovis sibi credita in aliquod discrimen incurreret, paululum ipsos semote innuit cedere. Porro ipse ante hostium precamina fundens, supernę miserationis toto de corde expetit levamen. Fratres autem murmur solummodo orantis percipientes, terrore perculsi, stabant exitum rei opperientes. Venerabilis interim presul, fusa oratione, cum divinum suffragium sibi sensisset adesse, signo dexterę, pessulo ut cedat Dei imperat ex nomine. Extemplo ianua dicto cicius reseratur; deinde fratris necessitudo sedatur, iterumque hostium cęlesti virtute obcluditur. Quibus precepit sub interminatione nominis cunctipotentis, ut quandiu ipse rebus humanis interesset, nulli umquam hominum id manifestatum foret; ac ita quod Karitatis causa voluit, Spe et Fide cooperante, ex Dei largitione obtinuit. Nunc ad sequentia transeamus.

56. Interea beati Petri apostoli aecclesia incendio, ut diximus, concremata, senioque annorum defessa, icta ventorum flabris, a fundamento corruit. Quę in melius constructa, aliptico scemate est eleganter deflorata a quodam sancti martiris Iuliani Turonicę sedis monacho, nomine Odolrico, bonę indolis viro. Hic dum una dierum operis accelerandi inservit, evocatur ab eodem dilecto Christi. Qui dum a vimineo festinat descendere ambulatorio rastrorum fidens scopulis, quibus ascensus descensusque sat continuabatur difficilis, uno eorum eliso inter ipsius manus preceps humi dilabatur; primoque podiis ipsius aecclesię mediestinus inlidunt, ad extremum solo ac si moribundus deturbatur. Sed paululum resumpto spiritu, a terra prosilit, signo se crucis munit et, quis eum subridens deposuisset, cum clamoratione interrogat frequenti, quia non solum omni corpore incolomis, verum quolibet dolore apparebat extraneus omnimodis. Viderit quisquis est quanti oboedientię fructus valeat, qui et a morte liberat ab omni periculo salvat.

57. Ceterum ipsius aecclesię faciem quibusdam miraculorum apocalipsis Iohannis theologi variari fecit, hisque versibus exornari:

Summus ab ęterna delapsus nuntius aula,
Tempora testatur divino examine claudi.
Olim pro meritis intacti funere carnis,

1) Hs.: oculens.

2) Hs.: exaestuans.